

CAROLI IX. FRANCORUM REGIS:

cusus regni auspicijs ob religionem turbatis :
circa Annum Christi

1562.



Vanto religionis Catholicæ defendendæ studio, ardoreque flagrarit Carolus Maximilianus Rex Galliarum, qui postea Carolus Nonus appellari voluit, testes varij sunt Historici : faciunt fidem illa clarissimi Antonij Mureti, in parentatione ejus, verba: *Generosi cum inquit seminis Adolefcens, qui amorem Dei & Ecclesiæ cum ipsius nutricis lacte suxisset, totaq; mente penitus combibisset, articulatim se prius concidi ac comminui passus esset, quam à rectâ illâ regulâ Patriæ & avitæ religionis abduci.* Itaq; dum purgare Regnum suum illis pestibus nititur, dum illius hydre, & in suam & aliorum perniciem contumacis assiduè renascentia capita amputare conatur, quatuordecim, tot enim regnavit, annos im perpetuis beliorum fluctibus, & in perpetuâ regni ac vitæ suæ dimicatione transiegit. Est evidens insuper hujus rei documentum: quod vix regnum ingressus reformatæ religionis hominibus (quos vulgo Hugonotas appellant) nummo hocce minitatur fore: ut licet sub Condais, Colignis, alijsq; latitent, suæ religionis virus tectè spargat atq; disseminent: nihilominus indagine sagaci ex antris suis cæcisq; recessibus extrahantur: Et nisi ad mentem sanctiorem redierint, ut novatores puniantur. Ceruum, Græcè *ἐλαφρον* dictum putant, quasi *ἐλαφρον διὰ τὸ ἐλκεῖν τὰς ὀφθαλμοὺς* quod, teste Plinio, abditos spiritibus suis serpentes extrabat renitentes. Lucretius lib. 6.

Naribus, alipedes ut cervi, sepe putantur
Ducere de latebris serpentia scæta ferarum.

Author.